

G E L D R I A

D V C A T V S,

A C

Z V T P H A N I A

C O M I T A T V S.



Nominis
origo.

Fines.

Partes Gel-
riae una
cum Zut-
phania.

ELRIA ad utramque Rhēni ripam, Gallicam & Germanicam sita est, uti & Clivia. Certa veterum Sincambrorum sedes, quos Augustus in Germania agentes traduxit in Galliam, teste Suetonio, atque in proximis Rheno agris collocavit. In hoc tractu fuisse *Gelduba* creditur, Tacito commemoratur lib. 4 histor. quæ Gelriæ nomen putatur creasse. Sunt tamen, qui opinentur Gelriæ nomen esse ab arce *Gelre*, quam Wicardus à Ponthe una cum fratre Lupoldo ædificasse fertur. Porro Gelriæ Ducatus & Zutphanie Comitatus jam ab annis quingentis in unam velut rempublicam coaluere: ita ut utraque uno nomine jam communiter Gelria dicatur. Habent tamen limites & fines suos distinctos. Gelria fines sunt, à Septentrione Transsalaria, quæ & magnam illius partem claudit ab Aquilone, Isala amne intermedio: ad Oriētem Zutphanienſis Comitatus, eodem amne dirimente: ad Eūrum Clivia: ad Meridem Brabantia, à qua Mosa flumine dividitur: ad Occasum primo Hollandia, dein Trajectina diœcesis, denique mare internum Australe, quod de *Zuyderzee* vocant. Mediam fere Rhēnus interfecat, utroque alveo, tum qui Rhēni nomen servat, tum qui Vahalſis vocatur. quamobrem variis partibus quasi sparsa jacet Zutphanienſis Comitatus ad Occasum Isala à Gelria dividitur, ad Meridiem Cliviam habet & Rhēnum: reliquis partibus fere Westphalia terminatur.

Dividuntur simul junctæ in quatuor partes, quas Tetrarchias licet appellare: Neomagensē, Ruremundanam, Zutphanienſem, atque Arnemienſem: quarum Ordines aut in Comitibus majoribus, à Præfecto, vel Senatu provinciali evocati, toti reip. in commune consulunt: aut separatim in suis quique Tetrarchiis, indicente & præſidente primariæ urbis Senatu, deliberant. Singulæ autem hæ Tetrarchiæ subdividuntur in urbana, paganaque territoria, & in præfecturas

BELGICA.

hæreditarias. *Neomagensis Tetrarchia*, quæ in Comitibus majoribus semper primum locum & suffragium obtinuit, urbes complectitur tres, *Neomagum*, *Thielam*, *Bommelium*. quibus olim annuebantur, Grava, *Leerdamum*, Bura, oppida sub Egmondano Principe avulsa, pagus item *Gente* in superiore Batavia (quem Carolus princeps CIOIOVI Henrico à Gent in clientelam concessit) suffragium quondam inter oppida obtinuit. Municipales præfecturæ principes fere sunt istæ: Regnum Neomagensē: Batavia, vulgo *Betow*, superior & inferior: *Bommeli* insula: *Thielæ* insula; Præfectura inter Mosam & *Vahalim*: Præfectura *Resy* & *Fenay*. In quibus præfecturis plurimæ sunt equitum vetustæ arces, multæque villarum præfecturæ hæreditariæ: videlicet, *Perſingen*, *Vbbergen*, *Groesbeec*, *Doddendal*, *Batenborgh*, *Horſsum*, *Luer*, *Oyen*, *Diegdey*, &c.

Secunda Tetrarchia est *Ruremundana*; cujus caput Ruremunda. Minora oppida sunt *Gelre*, *Venloum*, *Stralena*, *Wachtendoncum*, *Montfortium*, & *Herculana*. Præfecturæ municipales octo, sub quibus & urbanæ nonnullæ: *Roffel*, *Gelre*, *Montfort*, *Kriekenbeec*, *Stralen*, *Wachtendonck*, *Erkelens*, *Midde-laer*. Minores & hæreditariæ sunt: *Vierſen*, *Horſt*, *Lent*, *Well*, *Afferden*, *Blienbeec*, *Walbeec*, *Aerlen*, *Gribenforſt*, *Blitterſwick*, *Mirlo*, *Elmpt*, *Steffensweert*, *Hillrade*, *Swalmen*, *Affel*, *Geiſteren*.

Tertia Tetrarchia est *Zutphanienſis*; cujus primaria urbs est *Zutphania*. Oppida minora muris cinctæ, quæ suffragium in Comitibus habent, sunt quatuor: *Doesburgum*, *Doetecum*, *Lochemum*, *Grolla*. Territorium municipale distinguitur in quatuor Præfecturas, ac totidem Baronias. Præfecturæ sunt; *Satrapia Zutphanienſis*, *Prætura Zutphanienſis*, *Richteramp van Doeszburgh* & *Satrapia Bredefortana*. Baronie sunt, *Berghe*, (quæ & ipsa Comitatus titulo insignis, sub qua & oppidum 'sHeerenbergh) *Bronchorſt*, *Baerwiſch*. Domino in *Anholt* cum Monasteriensibus hodieque controversia est, utrum hæreditariæ præfecturæ in *Borckelo* atque *Anholt* huic Tetrarchiæ accenseri debeant.

Quarta Tetrarchia est *Arnhemienſis*; cujus primaria urbs est *Arenacum*. Oppida minora sunt quatuor:

I i

quatuor:

Prima Tetrarchia, Neomagensis.

Secunda Ruremundana.

Tertia, Zutphanienſis.

Quarta, Arnhemienſis.